



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Igniacensi At Vallis claræ Abbatibus Cisterciensis ordinis, Remensis &
Laudunensis diocesum, & Decano Remensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Idus Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

IGNIACENSI ET VALLIS clare Abbatibus Cisterciensis ordinis, Remensis & Laudanensis dioecesis, & Decano Remensi.

DECANO ET MAGISTRIS R. & P. Canonicis Antiochenis, & universis Clericis in castro Cusarij commorantibus.

Plæ matris officium, quæ non potest propriæ sobolis oblivisci, apostolica sedes adimplens, sic interdum suæ consolationis uberibus inediam relevat merentium filiorum ut imminente necessitatis articulo eorum commoda propriis commo- ditatibus anteponat, in eo sibi aliquid accrescere reputans in quo sibi quicquam ex circumspectione provida subtrahendo profectus considerat subditorum. Hinc est siquidem quòd cum Antiochena Ecclesia proprio viduata pastore venerabilem fratrem nostrum Petrum nunc Patriarcham Antiochenum, tunc Yporiensem Episcopum, postulaverit in pastorem, te, fili Decane, cum quibusdam aliis tunc absentibus per litteras tuas venerabili fratri nostro Ierosolymitano Patriarchæ A. S. L. directas præsentibus eidem postulationi consensum, quamquam à principio durum nobis non immeritò videretur tam fructiferam plantam in partibus Italicis transplantare ac illum ad remotas transmittere regiones qui, ut veræ religionis cultor, potens in opere & sermone, vita, scientia, & fama præclarus, & in partem nostræ sollicitudinis specialiter evocatus, injunctum sibi visitationis officium in tota provincia Lombardiæ laudabiliter adimplebar, contritioni tamen & angustiis Ecclesiæ supradictæ, quam inter ceteras patriarchales sedes sinceræ caritatis brachiis amplexamur, paterno condescendentes affectu, nutantem quodammodo statum ejus solida volentes columna fulcire, postulationem prædictam ex benignitate apostolica duximus admittendam, quin immo eum Ecclesiæ memoratæ concessimus ex plenitudine apostolicæ potestatis cujus operam diligentem & diligentiam operosam, non solum Ecclesiæ Antiochenæ, verum etiam universæ orientali provincie Domino disponente speramus firmiter fructuosam, per quam tam in spiritualibus quam etiam temporalibus grata utrique provenient incrementa. Cum igitur Patriarcha præfatus cum palleo, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officij, de beati Petri corpore sumpto & gratiæ nostræ favore ad Ecclesiam Antiochenam accedat, devotionem vestram rogamus attentius & moneamus, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatenus ipsum congruo suscipientes honore, ac eidem,

Epist. 18. Vt Patriarchæ suum suscipiant reverenter. Vide supra epist. 8 & lib. 11. epist. 106.

Epist. 17. Alio modo in- quæ causam- mationes.

Cum simus secundum Apostolum & majoribus & minoribus ex susceptæ servitutis officio debitores, providere tenemur ne contra doctrinam ipsius cujus imitatores debemus exilire personas accipere videamur, & nimium deferendo prælatis, indebitè gravare subjectos. Sanè dilecti filij Presbyteri Suevionensis episcopatus nostris auribus intimarunt quòd Episcopus & Archidiaconi eorundem nunquam eis exactiones indebitas imponentes, subito contra juris ordinem, non solummodo per seipsos, verum etiam per suos officiales, eos & eorum Ecclesias irrationabili excommunicationis & interdicti promulgatione fatigant. Vnde suppliciter petierunt ut tam super iis quam aliis gravaminibus paterna sollicitudine consuleremus eisdem, auctoritate apostolica prohibendo ut nullus in aliquem eorum absque manifesta & rationabili causa sententiam excommunicationis vel interdicti proferre seu quicquam pro restitutione officij à quolibet eorundem exigere, aut eos procuracionibus, talliis, & aliis exactionibus contra justitiam aggravare præsumat, vel invadere bona cujuslibet qui decederet intestatus quæ intuitu Ecclesiæ acquisisset, aut temerè impedire quò minus ea in utilitatem Ecclesiæ convertantur cui præfuisse defunctus, per tres ex ipsis quos ad hoc providè duxerint deputandos. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cum à Presbyteris memoratis vel eorum aliquo super quolibet præmissorum fueritis requisiti, vocatis qui fuerint evocandi, & inquisita & cognita veritate, quod canonicum fuerit statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententiam, si quam inveneritis promulgatam injustè, canonicè revocando, contradictores &c. Testes &c. Nullis litteris &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani 11. Idus Maij, anno duodecimo.

